



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Magna Gloria Antiquæ & Novissimæ Domus  
Schwarzacensis A Magno Sacerdotio Sive Vita & Res  
Præclare Gestæ ... DD. Abbatum Celeberrimi &  
Antiquissimi Monasterii O. S. B. in Münster-Schwartzach**

**Friedrich Karl <Bamberg, Bischof>**

**Wirceburgi, 1743**

Heroldus Abbas XXIII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64362](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64362)

SÆCULUM V.

*Ab Anno 1215. ad Annum 1315. Abbates  
quinque.*

Heroldus, Simon, Rutgerus, Ar-  
noldus, Sigfridus.

HEROLDUS ABBAS XXIII.

**T**Empore Heroldi Abbatis, qui Monasterio nostro Abbas datus est anno 1220. turbari cepit quies Monasterii tumultibus, quibus etiam Urbs Wirceburgensis agitabatur; Cùm enim Comes de Henneberg, Boppo Bambergensis Episcopus unà cum Ruperto Comite de Castell arma inferrent Hermanno Episcopo Herbipolensi, hæc hostilis flamma etiam in oppidum Schwartzach grassabatur, plurimis Monasterii nostri ædificiis igne pariter absumptis: non tamen calamitates hæ nostræ ità catenatæ erant, ut læta tristibus non subinde succederent. Decisa est Prælati hujus temporibus insignis quædam controversia nostri cum Ebracensi Monasterii; & Fridericus ali-

D

quis

quis de Steinfeld jus Patronatûs, ut vocant, facti Suntheim nobis liberaliter concessit, robore hanc donationem auctoritate suâ Dietherico Episcopo Herbipolensi; Heroldum anno 1232. ex mortali hac vita piè decedentem, altero mox anno 1233. secutus est

### SIMON ABBAS XXIV.

Vix gubernaculis Monasterii nostri admotus Simon fuit, animum continuo adjecit ad ædificia hostilibus nuper flammis absumpta rursus extruenda; quamvis bellici tumultus, quibus Cives Herbipolenses Episcopum suum implicabant, nondum compositi essent, quin quot diebus magis magisque invalescerent. Et perfecisset sine dubio inchoatum opus, nisi vix elapsis in abbatiâli officio annis 15. requiescere à laboribus suis iussus fuisset anno 1248.

### RUTGERUS ABBAS XXV.

Restorationem Monasterii ab Antecessore inchoatam absolvere studuit Rutgerus Abbas hac dignitate ornatus anno 1248; quam quoad gessit, variis modis Monasterii sui utilitati consultum